

DLXXXIV.

BITURICEN.

Propositis dubiis ab Archiepiscopo Bituricensi.

1.^o *Utrum imponendo Sacrum Scapulare B. M. V. e Monte Carmelo, sufficiat inscribere nomina fidelium, ut lucrentur Indulgentias in proximiori Societate Carmelitarum?*

2.^o *Utrum Carmelitae sint Sodalitas, an Conventus?*

Sac. Congregatio, auditis quoque Consultoribus, respondendum esse censuit. Ad primum « Negative ».

Ad secundum « Qui in Ordine Carmelitarum professi sunt, sunt Religiosi, et componunt Conventum; qui vero Sodalitati S. Scapularis simpliciter adscripti sunt, Confratres dicuntur, et Sodalitatem constituunt ». Ita respondit die 22 Februarii 1847.

DLXXXV.

AVENIONEN.

A quodam Sacerdote Avenionensis Dioecesis proposita fuere dubia.

1.^o *Utrum Missa quae celebratur ad agendas gratias Sanctissimae Trinitati pro universis beneficiis B. M. V. collatis, applicari possit non solum pro defunctis, sed etiam pro vivis, vel aliis quibusvis intentionibus applicabilibus, absque amissione Indulgentiarum?*

2.^o *Utrum Altare in quo celebratur necessario esse debeat Beatae Mariae Virginis?*

3.^o *Utrum celebratio fieri debeat semper ad idem Altare?*

4.^o *Utrum posito quod Altare fixum requiratur, Episcopus possit aliud determinare, ut deinceps inserviat ad hujus Missae celebrationem, si rationes habeat hujus mutationis?*

Sac. Congregatio respondit « Ad primum » Affirmative, attento Rescripto Secretariae supplicum libellorum diei 10 Januarii 1817 in quo haec habentur « *La suddetta Messa può applicarsi secondo l'intenzione dei benefattori, ovvero per qualunque altro pio motivo, ed altresì in suffragio dei defonti anche nei giorni,*

nei quali secondo la Rubrica si dovrebbe celebrare la Messa di Requiem ».

Ad secundum, et tertium « Negative » Ad quartum vero « Non indigere responsione » Ita decrevit, ac servari mandavit Sac. Congregatio die 22 Februarii 1847.

DLXXXVI.

BRIOCEN.

Vicarius Generalis Episcopi Briocensis infrascripta dubia proposuit enodanda.

1.^o *Utrum ad acquirendam Plenariam Indulgentiam pro defunctis Sacerdos qui sacrum facit in Altari Privilegiato, pro singulis diebus, teneatur paramentis nigri coloris uti diebus non impeditis?*

2.^o *Utrum Sacerdos, qui privilegio personali pro quatuor diebus qualibet hebdomada fruitur, teneatur iisdem paramentis uti, diebus pariter non impeditis, pro ejusdem Indulgentiae acquisitione?*

3.^o *Utrum Sacerdos qui bona fide hisce desuper errasset, sive alios in errorem traxisset, ita ut defunctorum animae praedicta Indulgentia frustratae fuissent, ad aliquod remedium teneatur, et in eventum quo hacce obligatione sit adstrictus, quatenam debeat esse ista reparatio?*

Sac. Congregatio cum jam sub die 11 Aprilis 1840 ad primum, et secundum respondisset « Affirmative » quoad tertium respondendum esse decrevit « Affirmative quoad illos Sacerdotes, qui pacto obligabantur, ut Missam agerent in Altari Privilegiato, eosque debere lucrari Indulgentiam Plenariam pro iis defunctis, quibus Missae fructum applicuerunt toties, quoties diebus non impeditis uti non sunt indumentis nigri coloris » Et ita decrevit die 22 Februarii 1847.

DLXXXVII.

BRUGEN.

Cum in Sacra Indulgentiarum Congregatione ab Episcopo Brugensi propositum fuerit dubium, utrum, scilicet, abrogatio Brevis « Quaecumque a Sede Apostolica » Clementis VIII facta per litteras Gregorii XV. « Alias pro parte » et Benedicti XIV. « Gloriosae Dominae » extendatur etiam ad Congregationes extra Domus, et Collegia Societatis Jesu existentes, quae licet per Patres dictae Societatis eriguntur, a Sacerdotibus tamen Saecularibus per Episcopum designatis diriguntur, et quatenus affirmative, ut ad vitandas difficultates, Sanctitas Vestra dictas Sodalitates erectas, vel erigendas iterum regimini Brevis « Quaecumque » submittere dignetur ».

Eadem Sac. Congregatio, auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, respondendum esse decrevit « Negative ad primam partem » Ad secundam partem « Jam provisum ». Ita Sac. Congreg. die 22 Februarii 1847.

DLXXXVIII.

SANCTI FLORI

Episcopus Sancti Flori exponit nonnullos theologos, aliis contradicentibus, dicere fidelem peccato mortali inquinatum posse lucrari, non quidem in suum subsidium, sed in levamen animarum in purgatorio detentarum Indulgentias, pro quibus lucrandis non praescribitur S. Eucharistiae communio: unde discussio exorta inter presbyteros suae Dioecesis.

Pro tollendo dubio Episcopus Orator supplex recurrit postulans responsum S. Sedis.

Et quaerit insuper utrum Sacerdos Missam dicens peccato mortali inquinatus sive ad Altare Privilegiatum in suffragium fidelium defunctorum, sive cum applicatione Indulti Altaris privilegiati personalis revera animam pro qua S. Sacrificium offert gaudere faciat etiam gratia Altaris Privilegiati?

Sac. Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22

Februarii 1847 ad primum, et secundum dubium censuit respondere « *Consulant probatos auctores* ».

DLXXXIX.

CAENOMANEN.

Sac. Congregatio ad dubium Caenomanensis Episcopi « *An, scilicet praxis separandi reliquias Sanctissimae Crucis D. N. J. C. a Reliquiis Sanctorum sit accurata, et sequenda?* » Auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, respondendum esse decrevit « *Affirmative* ». Die 22 Februarii 1847.

DXC.

Beatissimo Padre

Moltissimi Ecclesiastici sì secolari che regolari e specialmente Irlandesi devoti di S. Stanislao Kostka della Compagnia di Gesù bramando a maggior gloria di Dio che detto Santo venga sempre meglio onorato dai fedeli, ed in modo anche speciale dalla gioventù, che in questi tempi ha bisogno di più protettori, supplicano V. B. a degnarsi concedere l'Indulgenza di 300 giorni a tutti i fedeli, che reciteranno le tre preghiere seguenti per la Purità, Carità, Buona morte solite a dirsi in moltissimi luoghi, ed a chi l'avrà recitate per un mese l'Indulgenza Plenaria confessandosi e comunicandosi, e dette Indulgenze che siano applicabili alle anime del Purgatorio. Che etc.

Die 22 Martii 1847.

Concedimus tercentum dies de Indulgentia semel in die
PIUS PP. IX.

PER LA PURITÀ'

Purissimo mio Protettore Stanislao, Angelo di Purità, io mi rallegro con Voi di quel singolarissimo dono di virginale purezza, che adornò il vostro cuore illibato; ed umilmente vi prego, ad ottenermi valore contro le tentazioni impure, e ad ispirarmi continua vigilanza per custodire la purità, virtù la più gloriosa in se stessa, e la più piacevole alla divinità.

Pater, Ave, Gloria.

PER LA CARITÀ

Amantissimo mio Protettore Stanislao, Serafino di Carità, io mi rallegro con Voi di quell'ardente fiamma d'amore, che tenne sempre il vostro puro ed innocente cuore sollevato ed unito al suo Dio, ed umilmente vi prego ad ottenermi tanta fiamma di amore divino, che consumi ogn'altro affetto terreno, e mi accenda del solo amore celeste.

Pater, Ave, Gloria.

PER LA BUONA MORTE

Pietosissimo e potentissimo mio Protettore Stanislao, Angelo di Purità e serafino di Carità: io mi rallegro con Voi di vostra felicissima morte, morte originata dal desiderio di contemplare Maria assunta nel Cielo, e cagionata da un impeto di amore verso di lei. Ringrazio Maria che volle compiacere i vostri voti, e prego Voi pe' pregi di questa vostra felicissima morte ad essere l'avvocato e protettore della morte mia. Deh! impegnatevi Voi presso Maria per impetrarmi una morte, se non felice come la vostra, almeno tranquilla sotto la protezione di Maria, mia avvocata, e di Voi mio special Protettore.

Pater, Ave, Gloria.

DXCI.

URBIS ET ORBIS

Enixis porrectis precibus Sanctissimo Domino Nostro PP. Pio IX a plurimis Romani Cleri Sacerdotibus, ut obsequia, quibus Sanctus Joseph Genitricis Dei Sponsus, ad ejus implorandum Patrocinium, a fidelibus colitur vulgo « *Le sette Allegrezze ed i sette Dolori ec.* » majori Indulgentiarum luero ad spirituum Christifidelium utilitatem decorarentur, praesertim pro iis, qui septem continentibus diebus dominicis quocumque anni tempore praefatas preces recitarent, cum hucusque a san. me. Gregorio PP. XVI Indulgentia tercentum dierum tantum in unaquaque ex praedictis Dominicis, Plenaria vero in ultima dumtaxat fuisset elargita, prout ex Decreto Sacrae hujus Congregationis diei 22 Januarii 1836 patet; Sanctitas Sua, referente me infra-

scripto ejusdem Sac. Congregationis Secretario in Audientia sub die prima Februarii currentis anni indulisit, ut firmis remanentibus Concessionibus enunciatis, omnes utriusque sexus Christifideles Indulgentiam Plenariam in singulis praememoratis continentibus Dominicis quocumque anni tempore ad libitum eligendis lucrari possint, et valeant; ea tamen apposita conditione, ut in unaquaque Dominica, praemissa praedictarum precum recitatione, vere poenitentes confessi, ac S. Eucharistia refecti, aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium visitent, et ibi per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effundant; facta insuper potestate easdem Plenarias Indulgentias animabus in Purgatorio detentis applicandi. Iis vero Christifidelibus praedicta obsequia recitare nescientibus, ac iis in locis ubi publice non peraguntur, eadem Sanctitas Sua, iisdem supplicantibus Oratoribus, in praefata Audientia diei 22 Martii supraenunciatis Indulgentias pari benignitate concessit, dummodo, sola precum recitatione omissa, caeteris tamen injunctis operibus adimpletis, septem tantum *Pater, Ave, et Gloria* etc. in unaquaque ex praedictis septem Dominicis devote recitent. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Indulgentiarum Congregationis die 22 Martii 1847.

C. CARD. ACTON PRAEF.
J. Gallo Secret.

DXCII.

MONIALIUM A VISITATIONE

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX precibus Monialium Visitationis de Urbe clementer exceptis, indulisit, ut omnes et singulas Indulgentias, et Privilegia hucusque concessa lucrari possint et valeant Moniales, et commorantes in singulis ejusdem tituli Visitationis ejusdem instituti Asceteriis per Orbem diffusis existentes, exceptis tamen pro commorantibus Indulgentias, quae propria sunt Monialium in Vestitione nempe, Professione, seu Votorum renovatione etc. Insuper concessit earum Confessariis

respectivis facultatem in casu infirmitatis commutandi visitationem Ecclesiae pro Indulgentiis adipiscendis in aliis operibus eorum arbitrio suggerendis, itemque permisit ut Indulgentias Stationum Urbis, diebus in Missali Romano descriptis lucrari valeant, coeteris adimpletis conditionibus, visitando in earum Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum; et tandem eadem Sanctitas Sua omnes praefatas Indulgentias et Privilegia alias ad tempus impertita non modo animabus in Purgatorio existentibus applicabiles, verum etiam perpetuis futuris temporibus valitura esse voluit absque ulla brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congr. Indulgentiarum die 4 Maii 1847.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
J. Gallo Secret.

DXCIII.

CAMERACEN.

Archiepiscopus Cameracensis quaerit humiliter solutionem dubiorum sequentium.

1.^o *Utrum Moderatores Sodalitatum B. M. V. de Rosario, et de Monte Carmelo, valeant benedicere Rosaria, et Scapularia cum applicatione Indulgentiarum assuetarum, eo ipso quod ipsos dictos Moderatores instituerimus in erigendo prae laudatas Sodalitates cum assuetis Indulgentiis etc. apostolica Delegatione nobis concessa, etsi Breve nobis impertitum non mentionem faciat de indulta facultate Moderatoribus, ad effectum benedicendi huiusmodi Rosaria, et Scapularia, et utrum pariter facultas concessa primo Moderatori transeat ad ejus Successores in hoc munere?*

2.^o *An per exceptionem regulae generalis communiter admissam re ipsa pias Sodalitates Sanctissimi Sacramenti, et Doctrinae Christianae in omnibus omnino Ecclesiis Parochialibus, cum applicatione Indulgentiarum instituere, seu erigere liceat; ita ut non requiratur unius leucae distantiae inter duas huiusmodi Sodalitates?*

3.^o *Utrum Sodalitates, quae canonice existebant ante concordatum 1801 amiserunt de facto sua privilegia, et Indulgentias, et item dicendum sit de Altaribus Privilegiatis, et aliis spiritualibus gratiis?*

4.^o *An Indulgentiae quibusdam majoribus festis adnexae, sint translatae eo ipso quod Solemnitas huiusmodi festorum sit canonice apud nos translata ad Dominicam sequentem?*

5.^o *Utrum Moniales etiam non approbatae a S. Sede, ut in Gallia communiter existunt, possint lucrari Indulgentias, quibus gaudent respectivi Ordines Religiosi Romae, vel alias existentes, et qui sunt approbati?*

Sac. Congregatio respondendum duxit, ut infra 22 Feb. 1847.

Ad primum « Consulendum Sanctissimo pro sanatione quoad praeteritum, et pro facultate Eminentissimo Archiepiscopo Cameracensi, ut per se, vel per Sacerdotes a se deputandos benedicat Rosaria, et Scapularia, illaque respective imponat fidelibus ad lucrandas Indulgentias unicuique ex Confraternitatibus praedictis ab Apostolica Sede concessas ».

Ad secundum « Affirmative »

Ad tertium « Negative quoad Sodalitates olim legitime existentes, et deinde sub eisdem titulo, legibus, habitu, ubi tamen gestare liceat, noviter ac canonice erectas; quoad vero Altaria Privilegiata, aliasque gratias recurrat in casibus peculiaribus ».

Ad quartum « Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo ».

Ad quintum « Affirmative juxta Rescriptum Sacrae Poenitentiariae, ut infra « Sac. Poenitentiariae, perpensis expositis respondit Affirmative, nempe oratrices (hoc est Carmelitae Excalceatae) uti et caeteras Sorores Monasteriorum Galliae lucrari posse Indulgentias omnes, quae Religioni seu Instituto aliarum Monialium solemniter vota emittentium secundum Institutum, seu Regulam respectivam concessae fuerunt, idque ex Indulto sa. me. Pii VII a Sanctissimo Domino Nostro PP. Gregorio XVI iterum confirmato ». Ita respondit Sac. Congregatio Indulgentiarum die 22 Februarii 1847. Facta autem per Eminentissimum Cardinalem Fabium Asquinium ejusdem Sac. Con-

gregationis Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX relatione in Audientia habita die 12 Julii 1847 super primo, et quarto dubio, Sanctitas Sua quoad primum benigne annuit pro Sanatione quoad praeteritum; et quoad futurum concessit facultatem Eminentissimo Archiepiscopo Cameracensi, ejus vila naturali durante, prout in dicto dubio responsum est. Quoad vero quarti dubii Eminentissimorum Patrum responsonem, Eadem Sanctitas Sua clementer annuit, dummodo legitime translata sit.

DXCIV.

VALENTINEN.

Episcopus Valentinensis implorat solutionem dubiorum.

1.^o *An translata solemnitate Epiphaniae etc. in Regno Gallicarum, translatae sint pariter Indulgentiae diei proprio adnexae ita ut fideles eas lucrari possint Dominica sequenti, ad quam solemnitas translata est?*

2.^o *An qui emit Cruces, numismata etc. ut ea distribuatur postquam benedicta fuerint, cum applicatione Indulgentiarum, possit horum petere praetium ab accipientibus, sine culpa, vel sine periculo Indulgentias amittendi? An amittantur tantum, quando quis sibi eas res proprias fecerit, et iis usus fuerit cum intentione lucrandi Indulgentias?*

3.^o *Quando ad Indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato ver. gr. pro extirpatione haereseon etc. an requiratur intentio explicita, expressa singulis vicibus?*

4.^o *An visitantes Ecclesias Ordinis S. Francisci die secunda Augusti, lucrentur Indulgentiam Plenariam toties quoties in eas ingrediuntur, et parumper ibi orant? Et an requiratur ut communicatio fiat in eadem Ecclesia?*

Sac. Congreg. sub die 22 Februarii 1847 respondit, ut infra.

Ad primum « Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo ».

Ad secundum « Negative ad primam partem; ad secundam non indigere responsione ».

Ad tertium « Negative ».

Ad quartum « Affirmative ad primam partem ».

« Negative ad secundam ».

Facta autem per Eminentissimum Cardinalem Fabium Asquinium Sac. Congregationis Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX relatione quoad primum dubium in Audientia habita die 12 Julii 1847 Sanctitas Sua benigne annuit, dummodo legitime translata sit.

DXCV.

URBIS ET ORBIS

Ut Sanctissimum illud Domini nomen, quod, testante Psalmista, a solis ortu usque ad occasum est laudabile, ab universis Christifidelibus praecipua devotione invocetur, Indulgentiam unius anni pro qualibet vice Laudes, quarum initium « *Diosia benedetto etc.* » corde saltem contrito, ac devote recitantibus, die 23 Julii 1801 a Pio PP. VII sa. me. concessam, animabus quoque in Purgatorio detentis Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX in Audientia diei 22 Martii currentis anni applicabilem esse declaravit. Humillimis demum porrectis precibus a R. Fr. Aloisio Giorgetti Ordinis Minimorum Provinciali, ut pro praefata recitatione Plenaria quoque Indulgentia concederetur, Eadem Sanctitas Sua ipsis Oratoris precibus peramanter exceptis, indulgit, ut omnes utriusque sexus Christifideles semel saltem in die dictas Laudes per integrum mensem recitantes, Indulgentiam Plenariam, una tantum cujuslibet mensis die, uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes confessi, ac Sacra Communionem refecti fuerint, et aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, lucrari possint, et valeant; facta insuper potestate ipsam etiam Plenariam Indulgentiam fidelibus pariter defunctis applicandi. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 8 Augusti 1847.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.

A. Archipr. Prinziwalli Subst.

LODE AL NOME ADORABILISSIMO DI DIO
IN RISARCIMENTO DEGLI OLTRAGGI, CHE GLI SI FANNO
COLLE BESTEMMIE

Dio sia benedetto
Benedetto il suo Santo Nome
Benedetto Gesù Cristo, vero Dio, e vero Uomo
Benedetto il Nome di Gesù
Benedetto Gesù nel Santissimo Sacramento dell' Altare
Benedetta la Gran Madre di Dio, Maria Santissima
Benedetta la sua santa ed immacolata Concezione ()*
Benedetto il Nome di Maria Vergine, e Madre
Benedetto Dio nei suoi Angeli, e ne' suoi Santi.

DXCVI.

URBIS ET ORBIS

Humillimis delatis precibus Sanctissimo Domino Nostro PP. Pio IX a R. P. Fr. Antonio a Matre Dei Generali Procuratore Ordinis Sanctissimae Trinitatis Discalceatorum, ut Christifideles Triduanis, seu Novendialibus Obsequiis Ineffabile ejusdem Sanctissimae Trinitatis Mysterium venerantes aliquo Indulgentiarum lucro de Ecclesiae thesauro ditarentur, Sanctitas Sua, referente me infrascripto Sac. Congregationis Cardinali Praefecto, clementer indulsit, ut omnes, et singuli utriusque sexus Christifideles, qui vel publice, vel privatim Triduum, aut Novendiale tam immediate ante Dominicam primam post Pentecostes, quam quocumque alio anni tempore devote peregerint, septem annorum, totidemque quadragenarum Indulgentiam semel singulis hujusmodi diebus lucrari possint, et valeant. Iis vero Christifidelibus, qui integrum Triduum, seu Novendiale persolverunt, Indulgentiam Plenariam tam post Triduum, quam post Novendiale acquirendam, dummodo ea die vere poenitentes confessi, ac S. Communionem refecti aliquam publicam Ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod tem-

(*) Ex Rescripto Secr. Brevium 27 Aprilis 1851.

poris spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, benigne concessit. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione, cum facultate quoque easdem Indulgentias animabus in Purgatorio detentis applicandi.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 8 Augusti 1847.

F. CARD. ASQUINIUS PRAEF.
Aloisius Archipr. Prinzivalli Subst.

DXCVII.

URBIS ET ORBIS

Cum pia, aequae ac praeclara Societas Propagationis Fidei titulo nuncupata, ex quo multis abhinc annis mirabili divinae Providentiae consilio ortum habuit in Gallia, media praesertim vineae dominicae cultoribus suppeditando ad Catholicam fidem in remotissimis licet regionibus facilius disseminandam plurimum semper contulerit, hinc eam Romani Pontifices in suam recipere tutelam haud praetermiserunt, immo spiritualibus Gratiis, atque Indulgentiis apostolica auctoritate ditaverunt, quo et majori Societatis ipsius incremento, et illorum Christifidelium bono consuleretur, qui Societati huic adscripti modica pecunia, paucisque quotidianis precibus ejusdem scopo laudabiliter admodum inserviunt. His permotus Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX cum et Ipse eosdem Christifideles peculiaribus favoribus, et gratiis prosequi, novasque Indulgentias, novaque privilegia eisdem conferre, quaeque jam alicubi generaliter universae Societati elargiri statuerit; hinc confirmando Indulgentias, et privilegia a suis Praedecessoribus concessa, quae tamen in hoc continentur Decreto, omnibus utriusque sexus Christifidelibus universi terrarum Orbis pie huic Societati rite adscriptis, quique hebdomadalem obulum in ea specie, seu quantitate contulerint, quae legitime quolibet loco statuta erit, quique unum insuper *Pater*, et *Ave*, cum hac invocatione « *Sancte Franciscæ Xaveri ora pro nobis* » quolibet idiomate quotidie recitaverint, de benignitate Apostolica dignatus est in perpetuum confirmare, et concedere sequentia privilegia,